Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 483
Quelle:
Copyright:

prelatorum conformari debet vite angelice, quae incipiunt: *Reuertamur ad angelicam ſimilitudinem ut ſicut illi* &c. et in Editis a me non ſunt reperta. Poſt *Extractionem de myſtica Theologia* praemiſſa *Joh. Saraceni* ad *Odonem S. Dionyſii* Abbatem Epiſtola Verſioni ejus *Divinorum Nominum* in Edit. *Argent. fol.* 179. praefixa *Incipit explanatio* horum Nominum *ſecundum dompnum abbatem vercellenſem.* Ejus initium eſt: *Domine deus noſter quam admirabile eſt* &c. Prolixa haec Explanatio ſingulas Textus περικοπας ſequens iterum in Editionibus deeſt. Non minus etiam, quae ſequitur, Ejus *Explanatio ſuper miſticam Theologiam* praemiſſo denuo ex Edit. *Argent. fol.* 262. *Saraceni Prologo* ad *Odonem*, quorum hic uterque nominatur. Explanationis initium: *Trinitas ſuperſubſtantialis &c. Duplici modo ad cognitionem dei perueniemus* &c. Illam excipiunt vulgatae *Dionyſii Epiſtolae* excepta illa ad *Apollophanem*, quam ſubplent ſpuriae illae *Ignatii Antioch.* una ad Matrem Domini cum reſponſo, et duae ad *Johannem* Apoſt. Exin nova et inedita *Thomae Vercellenſis in Angelicam Hierarchiam* orditur *Explanatio*, cujus Prooemium infit: *Job 39. c. Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter* &c. et iterum *Saraceni* interpretis *Prologum ad Job. Sarisberienſem*, ut Edit. *cit. Colon.* p. 758. poſt ſe habet. Idem dic de *Explanatione Hierarchiae eccleſiaſticae*, quae ſequitur, Prooemio ita auſpicante: *Job 38. Nunquid noſti ordinem celi* &c. et adjecto *Saraceni* Praefamine, quod eſt Edit. *Colon.* p. 776. Jam hic perorantem *Thomam* audiamus: *Ecce miſerante deo et illuminante ſicut ante annos quinque propoſuimus et in prohemio extractionis noſtre premiſimus, 4. libros Magni Dyoniſij Ariopagite ſcilicet Angelicam ierarchiam, Diuina nomina, Miſticam theologyam et Eccleſiaſticam ierarchiam dupliciter declarauimus. Primo quidem extractione compendioſa, que propter littere difficultatem ſenſum ipſum littere ſtilo communi breuiter exprimit, poſtea uero gloſſis, que librorum ſententiam diligenter pertractant. Quas qui legerit et ſe per eas aliquo ſtudij labore excuſari perpendit, oret pro anima excuſantis. Quicunque autem dicta in eis minus prudenter correxerit, aut dictos libros clarius illuſtrauerit, a deo precibus beati Dyoniſij beatam mercedem recipiat. Ego ſiquidem non ſolum in his cacuminibus ſed etiam in ſcripturarum planitie ſemper magis optaui diſcere quam docere. Actum yporcie in exilio meo Anno gratie. M°. CC°. XLIIII. 3°. kld. Marcij.* Plura hic docemur: *Poſſevinum, Oudinum, Pezium, Ughellium, Fabricium* nihil ſuſpicatos eſſe de *duplici* Labore *Thomae* in *Dionyſium*, ſolam *Extractionem* noviſſe; in Codice noſtro haberi *Explanationem*, ſive, ut ipſe vocat, *Gloſſas* omnibus ignotas; *Pezium* et *Ughellium* male interpretatos annum mortis ejus e verſu Epitaphii: *Bis ter viginti currebant mille ducenti* per

1226.